

## DECLARATIO AUTHORIS.

**D**isputatorem Theologum, non Fidei Definitorem ago. Ideo quidquid censuram Propositionis cujuscumque determinatam alicubi sapere videbitur, non plus eam valere cupio, quàm allegata secundum meam sententiam argumenta probaverint. Neque enim is ego sum, qui Summi Pontificis mentem scrutari audaciùs præsumam circa id, quod ipsi declarare non placuit. Sanè cum ex ipsis Constitutionis Apostolicæ verbis pateat, censuras varias Propositionibus *respectivè* inflictas fuisse, non singulis singulas *determinatè* applicatas, *dicendum est* (ut præclare in simili monet Suarez de Gratia part. I. Proleg. 6. cap. 2. num. 8.) *Apostolicam Sedem non tam fuisse sollicitam de illa particulari applicatione censura quoad speciem, vel gradum ejus, quàm de exterminanda, & abolenda tota illa doctrina, sicut statim fecit, illam damnando, & in posterum interdicens. Ad hunc autem finem sufficiens fuit illa generalis censura, licèt plura membra contineat; quia qualibet nota illarum sufficit, ut doctrina ipsa circumscribatur, etiamsi propria nota, & censura uniuscujusque Propositionis per regulas Theologia ad singulas applicanda Doctõribus Theologia permittatur. Neque est novus hic modus damnandi pravam aliquam doctrinam, qua plures consistet: nam simili modo damnavit Leo X. articulos Lutheri in sua Bulla, & Concilium Constant. articulos Joannis Wiclef, & Joannis Hus sess. 8. & 15.*

